

urbem opulentam, caput gentis eius, expugnat diripitque ; quo metu percusae minores ciuitates stipendio imposito imperium accepere. Victor exercitus opulentusque praeda  
5 Carthaginem Nouam in hiberna est deductus. Ibi large partiendo praedam stipendioque praeterito cum fide exsoluendo cunctis ciuium sociorumque animis in se firmatis  
6 uere primo in Vaccaeos promotum bellum. Hermandica et Arbocala, eorum urbes, ui captae. Arbocala et uirtute et  
7 multitudine oppidanorum diu defensa ; ab Hermandica profugi exsilibus Olcadum, priore aestate domitae gentis,  
8 cum se iunxissent, concitant Carpetanos adortique Hannibalem regressum ex Vaccaeis haud procul Tago flumine  
9 agmen graue praeda turbauere. Hannibal proelio abstinuit castrisque super ripam positis, cum prima quies silentiumque ab hostibus fuit, amnem uado traiecit ualloque ita praeducto ut locum ad transgrediendum hostes haberent inuadere eos  
10 transeuntes statuit. Equitibus paecepit ut, cum ingressos aquam uiderent, adorirentur impeditum agmen ; in ripa  
11 elephantos—quadraginta autem erant—disponit. Carpetanorum cum appendicibus Olcadum Vaccaeorumque centum milia fuere, inuicta acies si aequo dimicaretur campo.  
12 Itaque et ingenio feroce et multitudine freti et, quod metu cessisse credebant hostem, id morari uictoriam rati quod interesset amnis, clamore sublato passim sine ullius imperio